AZ.
III
I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
G
64
NAPOLI

XVII
g
64

N6

Google

DE

# CRITICES,

In re praeſertim ſacra;
recto pravoque uſu,

AUTHORE

F. BONAVENT. AMADAEO
DE CAESARE Min.Conv.
Sacrae Romanae Congregationis
Indicis Conſultore &c.

NEAPOLI, MDCCXLI.

Typis Joſephi Severini.
*Superiorum permiſſu.*

# CAPITUM SYLLABUS:

Critices Etymon. Eſſentia. Progreſſio. Neceſſitudo. Cap. I. 1.
Fundamina Critices. Cap. II. 8.
Prioris fundaminis Uſus. Cap. III. 10.
Servanda in Eccleſiae Patrum libris evolvendis. Cap. IV. 11
Pravi Critici finis. Cap. V. 18
Quorundam Hallucinatio. Cap. VI. 23.
Mali Critici Mos detegitur. Cap. VII. 27.
Quid ſervandum in eccleſiaſtica Hiſtoria. Cap. VIII. 30
Pleraeque expenduntur Regulae. Cap. IX. 35
De Conjectura. Cap. X. 39
Animadverſiones in has Regulas Cap. XI. 47
Exploratius expenditur Conjectura quaevis. Cap. XII. 56.
Conjectura ex dicendi forma. Cap. XIII. 62

* 2 Con-

Conjectura ex Operibus ducta. Cap. XIV. 65

Conjectura à rerum Convenientia. Cap. XV. 70.

Conjectura à ſilentio Veterum. Cap. XVI. 78.

Eccleſiarum Traditiones. Cap. XVII. 85:

Traditionum Canones. Cap. XVIII. 89.

Complures excutiuntur Regulae. Cap. XIX. 97

De Eccleſiae Conſenſione. Cap XX. 127.

An Critices Lima in Sacros conveniat libros. Cap. XXI. 135

Syllabus Operum ejuſdem Auctoris. in calce.

Cen-

## Cenſura & Facultas Ordinis.

Parvum hoc quidem, non modici tamen laboris F. Bonavent. Amadaei de Caeſare Minoris Conventualis noſtri, Sac. Theologiae Magiſtri, Definitoris perpetui, Romae Sacrae Congregationis Indicis Conſultoris, totum ut juſſu exequerer tuo, Rme Pater, perlegi, nilque non modo reperi Orthodoxae Fidei, ac probis moribus adverſum; tum bonae Critices monitis cujus ope literariae univerſim res, ac Theologica praeſertim hoc eavi mirifica increvit, valdè, ut nonnullum ante hac refertum eruditiſſimè, ſolidiſſimèque. In fidem, &c. Datum Neapoli 18. Julii 1741.

Humillimus, ac addictiſſimus Servus

Fr. Thomas Moreſe Miniſter Provincialis.

Protinus, ut juſſis obtemperarem tuis, Rm̃e Parens, totum Opuſculum evolvi Minoris Conventualis noſtri, Sac. Theol. Magiſtri, Definitoris perpetui, Congregationis Iudicis Romae Conſultoris Fr. Bonaventurae Amadaei de Caeſare. Ac ſi per te licuerit publici Juris faciendum, cenſeo: mirè ſiquidem profuturum juventuti praeſertim noſtrae in ac. Theologiae ſtudiis verſanti, quae ut coeca aliorum dictis credulitate obnubilatur; ita Crit̃ices admota face clareſcit quammaximè. In fidem, &c. Datum Neapoli ex Conventu Regio Divi Laurentii 18. Julii 1741.

Humillimus, ac addictiſſimus Servus

Fr. Jacobus Majone S. Th. M. in hac Sac. Theol. Facultate Neapolitana Decanus, ac Guardianus Coenobii S. Laurentii Majoris.

Nos

Nos F. Joannes Baptiſta Minucci Art.& S. Theolog. Doctor, Sacrae Indulgentiarum, & Reliquiarum Congregationis Conſultor, promovendorum ad Epiſcopatum Examinator, ac totius Seraphici Ordinis Minorum Conventualium poſt S. Patriarcham Franciſcum Miniſter Generalis LXXXIV.

Cum Opus cui titulus eſt: *De Critices in re praeſertim Sacra, recto pravoque uſu* à P. M. Amadaeo de Caeſare compoſito, duo ex Ordine noſtro Theologi de mandato Noſtro examinaverint & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus ut Typis mãdetur, ſi iis ad quos ſpectaverit, ita videbitur. In quorum fidem &c. Dat. Bononiae die 22. Auguſti 1741.

F. J. B. Minucci Min. Generalis.

Fr. Joſeph M. Modeſtini Secret.& Aſſiſt. Ord. ac Prov. Angl.

FA-

Facultas Eccleſiaſtica:

Reverendiſſimus Dominus D. Thomas Rogerius in Cauſſis Fidei Conſiliarius, Eminentiſſimi Domini Ordinarius, & Sac. Th. Magiſter, ac U. J. D. revideat, & in ſcriptis referat: Datum Neapoli hac die 23. Julii 1741.

Canonicus Julius Tornus pro Domino Canonico Gyptio.

Eminentiſſime Princeps.

INſcriptum Tibi Opuſculum *De Critices in re praeſertim ſacra, recto pravoq; uſu, &c. Auct.* P.M.Bon.Amad. A Te juſſus evolvi, ſedulaque manu percurri, in eoque nihil ſane deprehendi, quod a Catholica Fide deviet; aut a chriſtianis moribus abhorreat, eaquepropter nihil obſtare cenſeo, quin imprimatur, ſi authoritas acceſſerit

rit

rit Tua. Neap. kal. Aug. anno Æræ Chriſtianæ MDCCXLI.

E.T.

Devinctiſſimus atque Addictiſſimus

Thomas Rugerius.

Attenta relatione Domini Reviſoris. Imprimatur: Datum Neapoli hac die quarto Nonas Auguſti 1741.

Canonicus Julius Tornus Deputatus.

Re-

Admodum Rev. P. Jacobus-Philippus Gatti S. Th. publicus Profeſſor videat & in ſcriptis referat. Neap. die 29. Auguſti 1741

C. Galianus Archiep. Theſſal. Cappell. Major, &c.

IN libro, cui titulus: *De Critices in re praeſertim ſacra, recto pravoque uſu* Auct. P. M. de Caeſare nihil mihi attente perlegenti occurrit, quod Regiis Juribus adverſetur: Quapropter typis committi poſſe cenſeo, regia accedente auctoritate; tum ut ſanae Critices ſtudioſis novam lucidamque praebeat facem, qua ſalebroſi hujus itineris praerupta facile vitare poſſint, tum ut eruditiſſimo Auctori debita laus, quemadmodum & ex aliis jam in publicam lucem emiſſis Operibus,

bus, hinc etiam accedat. Datum Neap. die xv. Aug. anno Aerae vulgaris MDCCXLI.

F. Jacobus-Philippus Gatti Auguſt. S. Th. Mag. & Anteceſſor Regius.

Die 17. Septembris 1741. Neap.
Viſo reſcripto S. R. M. ſub die 16. currentis menſis & anni, ac relatione facta per Adm. R. P. Mag. Jacobum-Philippnm Gatti de Commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris de ordine praefatae Majeſtatis.
Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, & approbationis dicti Reviſoris, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica, hoc ſuum.

Fraggian, Maggioc, Caſtagnola;
Ill.

Ill. Marchio de Ippolito Praeſes S.R.C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Ill. Marchio Rocca non interfuit

Athanaſius

DE

# DE CRITICES,

## IN RE PRAESERTIM SACRA, RECTO PRAVOQUE USU.

*Ad Emum Principem Cardinalem*

# SPINELLI

ArchiPraeſulem Neapolitanum.

## Caput I.

*Critices Etymon. Eſſentia. Progreſſio. Neceſſitudo.*

HOc exiguae molis volumen quod pro inani more, Eminentiſſime Archipraeſul, Tibi ut Patrono & Maecenati non inſcribo, ut Magiſter & gravis Cenſor qualem Te Aca-

demia praeſertim veretur tuo niſu recens coacta, ad ſecretiora Theologiae polemicae & liturgicae aperienda, ad ſacram Hiſtoriam illuſtrandam, gaudens excipias, lubenſque, vehementer Te rogo. Criticam complectitur Artem, qua quia abuti Scioli quidam non verentur, rectum privumque ferimus Uſum.

Critices etymon graecum eſt, à verbo enim κρίνω judico, unde κρίνης Judex κρίτικος judicialis, decretorius. Definitur mox: recta judicii ferendi Ars; per quam differt ab illo oppugnandi objiciendique puerili ardore rixandique libidine quae *Pedagogia* nuncupatur. Talis eſt ea quae verſatur ultro citroque Maſtrium inter & Poncium, inter Natalem Alexandri & Fraxenium. Genuina Critice in literarum ſemita animum dirigit, nitido illuſtrat

lumine, quicquid ſcitu digna circa Autographa, Textus, Traditiones, Tempora, Loca, Perſonas, Phraſin & dicendi modum, ac Authorum claſſes obnubilare poteſt. Varro iccircò rectè ſcripſit: *Critice Philologiae pars eſt quae in emendatione Auctorum & in judicio conſiſtit*: apud Diomed. l. 2. Et Joannes Clericus Calviniſta: *Criticen vocamus Artem intelligendorum veterum Scriptorum, ſivè numeris adſtricta, ſivè ſoluta oratione utentium, & dignoſcendi quaenam eorum genuina ſcripta ſint, quae ſpuria*: l. de Art.cr.

Circa Critices neceſſitudinem nullum quippe conſtantius adferri poteſt argumentum extra aleam reponendam, quàm obſcurum ſtatum perpendere, ut perpendidit optimus Criticus P. Honor, in quem tranſactis aevis ir-

repſerant ſacer Codex, antiquorum Martyrum Acta, Eccleſiae Hiſtoria, Patrum lucubrationes, humanae literae & liberales Artes, poſt romani Imperii caſum praecipuè, atque priuſquam nitidiſſima Criticae Artis dies meridiana luce clareſceret. Critices princeps Author *Ariſtarchus* paſſim fertur, ortu Samoſatenus & literarum laude, centeſimo ante Servatorem natum Anno, percelebris, qui tantum in Homeri ſibi permiſit Rapſodias ut verſus quos vellet velut ſuppoſititios partus ab Homeri familia ſubmoveret. Marcus Terent. Varro dein, Julii Caeſaris tempeſtate floruit qui animum criticis applicuit ſtudiis; & Dionyſius Halycarnaſſàeus, Dionyſius Caſſius Longinus aliique ethnici. Apud Chriſtianos Tertullianum, Cyprianum, Euſebium Caeſareenſem,

ſem; Athanaſium eximios fuiſſe Criticos, praeterit neminem. Saeculis noſtris ad Criticen movere manum Ludovicus Vives, Eraſmus, ſed hic non rectè, Juſtus Lypſius, Valeſius, Cotelerius, Holſtenius, Lambecius, Wſtenius, Leo Allatius, Pagi, Huetius: Poſſevinus, Garnerius, Sirmondus, Combeſius, Acherius, Ruinartius, Montfauconius, Mabillonius, Noryſius, ac etiam Natal. Alexandri, Dupinius, Tillemontius, De Fleurj, Launojus; ſed iſti Eraſmo non abſimiles.

Haud recens Critice eſt, ſed ſumma authoritate imò & antiquitate fulget. Et ne ab Eccleſiae ultima antiquitate repetamus. Criticen neſciendi artem, & Criticos Viros antiquitatis Academicos, qui hoc unum ſciebant quod nihil ſciebant, Recens quidam appellare

non veritus, non ut inutiles modò ſed & noxios nihili pendiſſe ac improbaſſe viſus eſt. At injuria prorſus. Norunt quiſque per multa temporibus diſſitis olim celebrata Concilia Critices lumina haud neglexiſſe, ubi quaeſtiones ortae de ambiguis factis & apocryphis libris. Doctor Maximus eruditiſſime genuinos libros diſcrevit à ſpuriis, ſaepèque numero Rufinum irriſit qui Sixtum ethnicum pro Sixto Divo Martyre & Pontifice Summo ſumpſit. Sanctus Papa Gelaſius, Leontius, Evagrius, Auguſtinus, Hincmarus Remensis Arte hac praeclara uſi ſunt, teſte Annalium Parente: *ad Annos* 352. Clariſſima Romana Schola ad Divum Gregorium uſque maximifacta ut ipſemet Agatho Papa fatetur, ſexto circiter ſaeculo decidit, immò ante ea tempora laudabilis huma-

narum literarum & Critices guſtus paulatim deſinere coepit, quinimò ſerpere ſe propagare barbaries dum declinabat graecum Imperium; Ac tunc deſperatae fermè curationis morbus viſus eſt, in Italia ob Longobardorum caedes, in Hiſpaniis ob Saracenorum incurſionem, in Galliis bellorum civilium cauſſam, & in Graecia ob haereſum varietatem & cladium multitudinem. Sat erit Marianae & Spondani verba exponere, relata etiam à clariſs. Bail. to. 2. not. ad Concil. Matriti: *In Hiſpaniis Sacerdotes invaſerat pudenda literarum inſcitia, uſque eo ut pauci latinè ſcirent, ventri gulaeque ſervientes.*

## Caput II.

### *Fundamina Critices.*

AUctoritati & Conjecturae innititur Critice: *Bivium enim ad corrigendum*, rectè ſcripſit Juſtus Lypſius, *libri & conjectura*. Authorum ſenſa phraſimque perpendit & ad verum cenſum prior reducit; Et Conjectura, Veterum facta ad criterium trutinamque redigens, diſputat aliter contigiſſe. Primaeva via tutior, periculoſior altera eſt. *Prima via ſatis certa, lubrica altera*, edixit Lypſius ipſe *Satyr. Menip.* Innititur quoque Traditioni & Conſuetudini ſivè Eccleſiarum conſenſui, quibus commentitia à genuinis factis internoſcuntur. Et in praeſentia ad rem veniunt eruditiſſimi Viri verba „ Nobis innumera perſua-

dere

„ dere debemus quae nihil minus
„ ſunt quam fidei capita aut ve-
„ ritas omnino non controverſa.
„ Nihil ſanè ita civilèm homi-
„ num ſocietatem & commerci-
„ um exterminaret quàm non
„ acquieſcere niſi veritati conſti-
„ tutae ejus auctoritate quae fal-
„ li non poſſit aut demonſtratio-
„ nibus apertis munitae. Fermè
„ nunquam capitur qui opinio-
„ nibus Eccleſiae fidem adhibet;
„ ſimulque novit, eas maximè
„ probabiles eſſe, non autem
„ demonſtratione perſpectas aut
„ errori minimè obnoxias: *Thomaſin. de Feſt. lib.* 2. Intereà haec moliri fundamina debet vir honeſtus non inſectanter & malevolè, nec oblatrandi ſtudio vel oſtentandi voto, levitate ductus, ſed candidè & ſimplicitèr, veritatis ardore motus. Tunc erit illud Taciti nactus: *Quicquid af-*

*feratur; prius à radicibus rimetur ſubtiliter; nec omnibus omnia credere decet. Sapiens primis auditionibus non movetur: lentè & conſideratè ſpectat id quod narratur.*

## Caput III.

### *Prioris fundaminis Uſus.*

OPtimi Critici provincia eſt: ad Eccleſiae commodum & utilitatem, ad veterum Patrum reverentiam, & ad Eccleſiaſticae Hiſtoriae claritudinem, ſtudium, atque operam impendere, in Patribus conciliandis, eorumque ſententiis viciſſim aptandis; & haud opponere Origenem Origeni, Hieronymum Hieronymo, Anſelmum Anſelmo. Recentes ſeveriores Critici plus aequo ſubtilibus tricis, po-

tius

tius Eccleſiaſticam Hiſtoriam & Patres implicavere, quàm eruditis Notis illuſtravere. Nefas eſt Veterum teſtimonia ſophiſmatibus elevare, Ipſorum textus detorquere, perperam intelligere, interpolare, immutare, vitiare, ut pravi Critici copiam faciunt, qui Veteres traducunt veluti fabulatores, vel minus ſollertes, nimium credulos, popularibus fabellis addictos. Talis eſt conſuetudo Blondelli, Riveti, Dupinii, Launoii, Bailleti, Baſnagii & Natalis Alexandri, ut norunt ſani animi Eruditi. Virile ſtudium ingenui Viri, illud ſacrarum eſt Scripturarũ ad Divorum calculum; Et Conciliorum Sanctorumque Patrum, alterum. Et de Conciliis ſit primum, juxta Mabillonium; informare animo univerſalem eorum ideam circa omnia quae occurrunt in Sy-

nodis animadverſione digna. Alterum diligentiſſimè cujuslibet Concilii hiſtoriam tenere, ſcilicet quidnam cauſſae fuerit, cur celebrarentur; quaenam haereſes ab ipſis damnarentur; quinam interfuerint illuſtres Viri; quinam demum exitus illis fuerit. Tertium, in ea quae complectitur Concilium quoad Dogmata & Diſciplinam, opportùnas adnotationes deſcribere. Suppetit alias clariſs. Monachus circa Patres. I. Priuſquam alicujus Patris lectionem exordiaris, in rem erit geſtorum ejus narrationem percurrere, ut inde illius ingenium, mores acta, & tempus quo floruit deprehendas. II. Genuina ipſius Opera ſummo ſtudio ab incertis aut ſuppoſitis ſecernas. III. Oportet propterea tempora diſtinguere quibus ſingula eorum Opera lucubrata fuere. IV. Si

quis ex Patribus diſſimilitèr de eadem re loquutus fuerit, poſtremae citiùs quam priori ſententiae ſubſcribas. V. De Doctrina Patris alicujus ſententiam feras ex illis locis, in quibus data opera rem excuſſit, non verò ex iis, in quibus obiter mentem ſuam ſignificavit. VI. Ne haereas ita omnibus iis, quae Pater unus, aut alter enunciavit, ut omnibus; nullo delectu habito aſſentiaris. VII. Quum Pater aliquis in opinionem deſcendit, reliquorum placitis minimè reſpondentem, ne illi fidem omnem adiicias, niſi ſi arrideat illi Eccleſiae mens. Quotieſcumque tamen à clariſſimorum veſtigiis Virorum iſtorum diſcedendum erit, religio ſit id ſumma animi circumſpectione, & moderamine non praeſtare. VIII. In Operibus polemicis inſtitutum potiſſimum erit, quod ſibi propoſue-

ſuerunt, advertas animum; neque uſque eo ſectandos putes quo interdum diſputandi aeſtu rapti ratiocinationes ſuas perduxerunt. Auguſtus Doctor contra Pelagium pro Gratia pugnans, liberum arbitrium quaſi infirmare videtur. Et diſputans pro arbitrii libertate, Gratiam ac ſi infringere demonſtratur. Illemet fatetur iis verbis: *Iſta quaeſtio ubi de arbitrio voluntatis, & Dei Gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei Gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei Gratia, liberum arbitrium putetur auferri*: lib.de Gr. Chr. c. 47.. IX. Perutile erit Tractatuum quos ſcripſerunt Patres analyſin conficere. Hae ſunt verae animadverſiones ad Patrum lectionem; haud jam illae fanaticae vel Guilielmi Ca-

ve, vel aliorum Haereticorum, Riveti, Dallaei, Joannis Clerici &c.

## Caput IV.

*Servanda in Eccleſiae Patrum Operibus.*

PRocul ſit à catholico Viro qui Patrum lectioni ſe tradat, viciorum omnium radix Philautia, qua nil rectum putet niſi quod ipſe cogitet, verſipelle ingenium, quale Pelagio, dicto proptereà à S. Proſpero: Colubro tortuoſo nimia audacia, ſine reverentia, metu & pudore, quos optimè judicare Plinius junior teſtatur.

Nauſeam movent & Launojus & Bailletus & Natalis Alexandri priſcos proterentes Scriptores Eccleſiae, ac ſi ipſi duntaxat Ma-

giſtri

giſtri fuerint in Iſrael,ſuperbo genio,ab Haereticis trajecto. Eruditorum nemo eſt,ſcribit Launojus, qui memoratos Authores, nempè Clementem Alexandrinum, Theodoretum, Gregorium Magnum, Gregorium Turonenſem, Sulpicium Severum, Damaſcenum &c. indiligentiae vicio laboraſſe, judicii acrimonia non valuiſſe; multa ex libris apocryphis deſumpſiſſe & omnia promiſcuè & ſine ullo vel certè parvo delectu in ſuos jeciſſe Commentarios, ignoret. ) Clariſſimus Canus contra ſimiles fanaticos oblatratores, ajentes: *turpis queſtus nomine, Monachos fabulas concinnaſſe*, Monachos vindicat *lib.* 11. *de locis cap.* 5. Quod & factitavit etiam doctus Mabillonius: *Ideo ne abſque ullo Veterum teſtimonio id in totius Ordinis monaſtici pro-*

*brum*

*brum adfirmare licet ? Ne illa tam atrox accuſatio non caret praecipiti cenſura* : lib. 3. de re diplom. cap. 3. Explorata res eſt, univerſos Veteres , praecipuè Patres , nuſquam oculos ab his duabus praecipuis Regulis ſubduxiſſe in quas omnis Historicus etiam ethnicus aciem intendere debuit : *Ne mentiatur unquam* ; *Et ne veritatem reticent* ; quare iniquum eſt edicere , Patres Opera confeciſſe fabulis referta ; omniſque ratio poſtulat ut Patrum ſententiae potius quàm aevi noſtri horum Criticorum deferamus. Magnus Auguſtinus Patres vocitat *irreprehenſibiles* lib. 2. con. Julian. c. 10. & Eccleſia ſancta Mater noſtra in omnibus contra Acatholicos concertationibus , Patrum ſenſa naviter veſtigavit & protulit ; qua fronte nos, ut corrupta , interpolata , ſuſpi-

ciosa,

cioſa, fabellis referta inſimulare audebimus & quod illa ex inquinatis fontibus ebiberint? Nonne Concilii Epheſini Patres Neſtorium adorſi fuere antiquiorum Patrum monumentis? Et Concilii Calchedonenſis contra Eutichen; Et Concilii C.Ptani contra Severianos; & Lateranenſis ſub Martino I. contra Monothelitas & Sextae Synodi generalis; & Septimae contra Iconoclaſtas? Eccleſia tota in oecumenicis Synodis congregata Patrum Opera tanti fecit, & nos audebimus flocci pilique facere? Inſanientium haud Criticorum profectò erit.

## Caput V.

### *Pravi Critici finis.*

PRavi Critici eſt, Patres, Eccleſiae murum ab imo ſuffodere.

dere. Audiatur Joan. Clericus Calviniſta qualem principem Canonem ſuis Refractariis exhibet: *Homines literati, facilè detrahunt*: epiſt. crit. 5. f. 90. *Ut quid enim ſaprophagis*? Dicimus ei cum Martiali l, 3. ep. 77. dum putridis cibis veſceris, putrida eructas. O perditum hominem millies igne ſuis cum maledictis cremandum lucubrationibus! Literatus, ſivè optimus Criticus detrahit nuſquam vel difficulter, ingenuo quoniam veritatis amore, humanitate, lenitate, ſapientia ac inviolata fide cohoneſtatus, libenti animo ſuſtinet vel Scriptoris ruſticitatem, vel pedagogicam dictionem; & ſuper omnia Patres & Veteres veneratur & colit. In Patrum Veterumque lectione pergrandem profiteri moderationem debemus qualem profeſſi fuere Majores noſtri.

Per-

Perpendatur calculus Magni Auguſtini lib. 2. con. Julian. Cap. 9. *Hoc probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum qui & hoc aſſeruerunt*. Et Patrum Septimae Synodi act. 1. *His qui ſpernunt magiſteria Ss. Patrum & Traditionem Catholicae Eccleſiae ..... Anathema*; Nec non clariſſimi Critici „ Sed quoniam „ modeſtè & circumſpecto judicio „ tantis Viris pronunciandum eſt: „ ne in his quidem duobus rejicienda ſunt plurima: Pauca „ enim in eis poſſis arguere; „ quamvis hiſtoriam Eccleſiaſticam ad ſeveriora judicia revocare contendas. Ac ſi neceſſe „ eſt in alteram peccare partem „ omnia eorum probati legentibus quam multa reprobari ma„ lo: Canus *de locis l.* 11. *cap.* 6. Et Balzacius: Quin oportet minutas Virorum Antiquitatis Principum

cipum labes omni ſtudio & conatu diſſimulare larva quadam veluti obducere & tegere; publicè ſaltem ut bono ſimus caeteri exēplo &c. Quum res videtur poſtulare ut ab illorum opinionibus abeamus, nobis curæ ſit objecta noſtra auro veluti oblinire & odore quodam imbuere ſuavi. Integrum quidem cuique eſt à Magiſtris ſejungi quum pro veritate ſectanda aliò trahimur & expedit abeundi facultatem officiosè petere & perpetuam in poſterum fidelitatem profiteri: *Exercit.* 11. *fol.* 199. Et Tillemontius *tom.* 1. *not.* 16. *in S. Virg. fol.* 475. Neceſſe eſt piae Fidei terminis coerceri quum nos Patribus noſtris perſpicacioris jactare nequeamus.) Nunc ageſis videatur propalàm ſuperbia alexandrina Natalis Alexandri adaucter adſerentis: *Epiphanius deceptus eſt &c. Severo*

*ro Sulpitio non eſt fides adhibenda &c. Gregorius Turonenſis erravit &c. facilè errat &c.* Jure meritoque exprobramus illi quicquid Auguſtinus Juliano Capuano improperabat: *Sed ubi tot Sanctos Doctores egregios atque memorabiles Catholicae veritatis accuſes?* lib. 2. cap. 9. Ei refricamus igitur quod cuidam deſipienti ſeni cecinit Horatius: *Hoc tantum rectum quod facit ipſe, putat.* Defuit herclè huic eximio Scriptori quod habuerunt & Ethnici: *Hoc eſt nimirum Sapientis proprium ut quantò in magnam ſapientiae eductus altitudinem, tanto ſuperbiam minus propagabit; & nullum eſt Sapiantiae ſpecimen quam omnes etiam ſe prudentiores, doctioreſque aeſtimare:* Plin. lib. 34.

Ca-

## Caput VI.

### *Quorundam Hallucinatio.*

QUorundam Criticorum, in praeſentia hallucinatio diſcutiatur. Magis de re hiſtorica, Ethnicorum teſtimonio tribuunt plerique, quàm Patrum de piis traditionibus authoritati. Plus apud eos habent ponderis Herodotus, Thucidides, Halicarnaſſaeus, Livius, Tacitus, Salluſtius quam Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius. Ipſis, Ethnici iſti ſtupori ſunt, eorum teſtimonium ſummo proſequuntur obſequio & ſummis eos efferunt laudibus; neſcientes quod Vopiſcus ſcripſit in Vita Aureliani „ Quaedam in „ Livio eſſe, quaedam in Sallu„ ſtio, quaedam in Tacito, „ quaedam in Trogo quorum fides

„ fides manifeſtis teſtimoniis labefactari poſſit. Nihil fidei „ Ethnicorum Hiſtoriis habendum eſt, utpote qui nullam „ habeant non modo certam,ſed „ nec probabilem quidem au- „ thoritatem: *rel. à Cano de loc. cap.* 3. Innumeros illos vulgi rumores in Livii Hiſtoria, ut bos loquutus, mula concepit, homines, gallinae & galli ſexum commutarunt, pluviae lapidum, lactis, ſanguinis,exercitus in aere & flumina ſanguinolentia & ſimiles has fabellas obſequentiſſimè bibunt. E contra, Breviarium Romanum, Martyrologia, Acta Martyrum, pias vetuſtaſque Traditiones Patrum Eccleſiaeque adaucter peſſündant. Unicus dumtaxat audiatur: *Auctoritatem Breviarii Romani eſſicere non poſſe ut fabulae in hiſtorias evadant*. Natalis Alexandri ſaec. 3. hiſt.

hiſt. diſſert. 20. Exploratum eſt, recentes Criticos omnem moviſſe lapidem ut piarum Eccleſiae Traditionum exiſtimationi derogarent eaſque vulgi erroribus admiſcerent, ut Patrum auctoritatem immò & Eccleſiae diminuerent. Idemet Natalis ſaec. 3.cap. 3.art.9. §. 1. Scribens de quodam Scythiano Saraceno haec habet: *Profectus in Judaeam, non ſub Apoſtolorum tempora, ut S. Epiphanius oſcitans ſcripſit, ſed poſt annum Chriſti ducenteſimum.* Dum S.Epiphanius nunquam hoc ſcripſerit; & impudenter addit: *oſcitans*. Scripſit, revera, Natalis, perinde ac ſi nuſquam ſub oculos habuiſſet illud Principis Apoſtolorum divinum monitum: *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*: 2. Petri cap. 1. ver. 21. Quaeſo: Critices Candidati; haec Abbatis Vincentii

Lirinenſis aurea monita ſub oculos habeto (: O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates. O; exclamatio eſt, & praeſcientiae eſt pariter & charitatis; Praevidebat enim futuros quos etiam praedolebat errores. Quis eſt hodie Timothaeus? niſi vel generaliter univerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus Praepoſitorum qui integram divini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent vel aliis infundere. Quid eſt depoſitum cuſtodi? Id eſt quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti non quod excogitaſti; rem non ingenii ſed doctrinae; non uſurpationis privatae ſed publicae Traditionis; rem ad te perductam non à te prolatam, in qua non author debes eſſe, ſed cuſtos, non inſtitutor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens. :)

Ca-

## Caput VII.

*Mali Critici mens detegitur.*

PRavi Critici quippe eſt: rem nimium intendere; omnia Critices uſu ſubvertere; pias Traditiones populorum affaniis & vulgaribus gerris immiſcere; potiſſimam Eccleſiaſticae Hiſtoriae partem concutere; ab Eccleſiae Patribus & à venerandae Antiquitatis ſemitis ſe ſubducere; juxta propriam minervam omnia dijudicare & proprio penu adauctet ad trutinam ponere; Breviaria, Acta Martyrum, Codices Patrum, Martyrologia, vetuſta monimenta, ſacra Lipſana contemnere, omniaque tumultuario judicio perturbare, quae indita animo noſtro ſunt cum Relegionis principiis. Mirum ſanè eſt: Critici recentiores in ſuis

Praefatiunculis eximias adſtruunt leges quas mordicus tenere proteſtantur & in lucubrationum contextu , prorſus earum obliviſcuntur & ab eis omninò deſciſcunt , propriis armis proinde palam videntur ſe jugulare . Laudabiles ſe praeſtitere ſacrae Facultatis Sorbonicae Cenſores in pariſienſis Breviarii emendatione , dum hance regularum cuſtodiam propoſuere . I. Servata remanere hiſtorica facta quae in ipſo ſedem habere merebantur. II. Ut ſumma veneratio ſanctis Patribus debita rata foret . III. Ut ad Breviarii Romani normam ſe componerent , ipſamque ſequerentur ; idemque fecere in Martyrologiis ; quod omne noſtris recentioribus Criticis non arriſit . Adhuc Caſſiodori tempeſtate tales inveniebantur corrupti palati, vel curruptae mentis potius: *Sunt*

*enim nonnulli*, ſcribebat, *qui putant eſſe laudabile ſi quid contra Antiquos ſapiunt & aliquid novi, unde periti videantur, inveniant:* lib. de divin. inſtit. cap. 11. *Nunquid ſagaciores ſumus ad inveniendam viam veritatis, quam apoſtolici Doctores?* Clamabant omnes noſtrae Italiae Epiſcopi, contra Elipandum novatorem. Et Divus Pontifex Gelaſius ad Honoratum Dalmatiae Epiſcopum „ Ubi eſt quod ſcriptum eſt: terminos Patrum tuorum non „ tranſgredieris; & interroga „ Patres tuos & annuntiabunt „ tibi & Seniores tuos & dicent „ tibi! Quid ergo tendimus ultra definita Majorum aut cur „ nobis non ſufficit ſi quid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus & „ Senioribus ſingula quaeque „ vel vitanda praecepta ſunt

„ vel aptata catholicae veritati ;
„ cur non his probantur eſſe de-
„ creta ? Nunquid ſapientiores
„ illis ſumus aut poterimus fir-
„ ma ſtabilitate conſtare, ſi ea
„ quae ab illis conſtituta ſunt
„ ſubruamus ? *Epiſt.* 5.

## Caput VIII.

### *Quid ſervandum in Eccleſiaſtica Hiſtoria.*

DE Critices Regulis & animadverſionibus quoad Hiſtoriam eccleſiaſticam, haec expendenda cenſemus. I. Percontari neceſſum erit ipſorum Hiſtoricorum geneſin, acta, religionem. Si è Catholica romana Eccleſia fuerint extorres, nullius probitatis, integritatis, veracitatis erunt; ſi veri catholici & probi, eis fides erit adhibenda, ma-

maximè dum facta vel ipſi ſe vidiſſe vel ab iis qui viderunt, accepiſſe teſtantur. II. Quo ſaeculo, qua ratione Author ſcripſerit; an perſonis & rebus de quibus agit ſynchronus fuerit; An ſit Author & Compoſitor, vel Exſcriptor aliorum Auctorum. III. An omnia quae ſcribit ſint authoritati vel ſimplici conjecturae innixa. IV. Animadvertas pleroſque antiquos Hiſtoricos ecclesiaſticos fuiſſe interpolatos ab Haereticis, praeſertim à Donatiſtis à quibus conſpurcata & mendoſa reddita plerorumque Acta fuere. V. Omnes libercu-los hiſtoricos abijcito, praeter Euſebium, Rufinum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum & animadvertas quoque quod Euſebius Arianiſſimus à Doctore Maximo eſt vocitatus & in multis eſt lapſus; immò Scaliger ſupina ple-

pleraque Chronologiae menda ipſi exprobrat. Socrates multoties fallitur & Haereticum Novatianum fuiſſe conſtat. Rufini opus haud pluribus Origenianis hallucinationibus vacat. Sozomenus in pleriſque videtur lapſus, praecipuè quoad Ærã Concilii Nicaeni I. Proinde Eccleſiaſticae Hiſtoriae Eminentiſſimus Auctor conſulatur Baronius cum collatione optimi Critici noſtri Pagij. Si dein Summiſtas optabis, Spondanum vel Brietium habere curabis. Severioris Critices Profeſſores ad expurgandam à fabellis Hiſtoriam Eccleſiaſticam, hanc ſtatuere Regulam. *Non eſt admittendum factum Hiſtoricum quod ab Authoribus ejuſdem aut proximioris aevi non confirmetur*: Si ſtandum huic Regulae foret, Eccleſiaſticae Hiſtoriae pars major corrueret; corruerent etiam

Acta

Acta Martyrum; Vitae Divorum; & Martyrologia Hieronymi, Bedae, Uſuardi, Adonis, Notheri. Supervacaneum erat Euſebium Caeſareenſem, Athanaſium, Epiphanium, Baſilium, utrumque Gregorium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, duos Cyrillos, totque alios eccleſiaſticos Scriptores eximios operam ſuam conferre ad eruenda elucubrationibus ſuis tot pretioſa vetuſta monumenta & ad poſteros traducere, quia recentes Critici eis multo ſapientiores ea venerandae antiquitatis monimenta in fabellis annumeraturi erant. Immò nec hercle animadvertunt: Si haec regula rata foret, detrahenda erunt facta innumera ab ipſorummet Operibus. Quot lacunoſa, quot fabuloſa non deprehendes in Operibus Baſnagii, Tillemontii, Bailleti,

Dupinii, Thierii, Natalis Alexandri, & Abb. de Fleurij. Perpendatur quaeſo, quae Fleurj de Euſebio Pamphili ſcribit: *Euſebium in originariis Scriptoribus recenſeri quoad tria priora ſaecula; quandoquidem praeſto erant ipſi ſcripta plurima à nobis deperdita quorum ſaepè eadem verba recitat; atque ex iis quae extant, comperimus Eum fideliter teſtimonia proferre.* Ecquare principium hocce non militabit quoad tot ſanctiſſimos Patres, ſi militat quoad Arianum Euſebium. O' ingenii levitatem! Bailletus refert Theodoſium monachum in ſpeluncam receſſiſſe, in qua tradebatur Magos dum reverterentur ab adoratione infantuli Jeſus recens nati Bethleem dormiiſſe. Et quo Hiſtorico Synchrono fulcitur? Nullo prorſus. Ergo ruit eorum Canon relatus,

&

& lacunoſa erunt ejus Opera. Innumera his non abſimilia facta refert Baſnagius aereo innixa fundamini, quae in praeſentia referre, longum erit; & interim ad alia continuò tranſeamus.

## Caput IX.

*Pleraeque expenduntur Regulae.*

CAnon alter Critices eſt: *Nefas eſſe à Veterum teſtimonio recedere, praeterquam firmis urgentibus rationibus.* Praeſtantiſſima ſanè Regula eſt; ſed ei non adhaerent & Baſnagius & Dupinius & Launojus & Natalis, Ballletus, nec Tillemontius nec Valeſius. Hic noviſſimus, fabellam vocat Simonis Magi volatum lapſumque; quamvis hiſtoria haec tradita fuerit à Graecis & Latinis Patribus. Dupinius adverſa-

tur refragaturque & Hieronymo & Nicenae Synodi Patribus adfirmantibus Judithae librum canonicum; ipſe audacter, ablegata optimae Critices Regula, edicit: *Hiſtoriam hanc ab Hieronymo aliorum fide conſignatam monumentis, nullum in ea veritatis veſtigium apparet*: diſſert. praelim. f. 132. Abnegat etiam Petrum Apoſtolorum Principem in ſua priori Epiſtola pro *Babylone* intellexiſſe *Romam*, contra Euſebium, Hieronymum, Rufinum, Bedam alioſque quamplurimos. Quales affanias non agglomerat mendaciſſimus Baſnagius, contra venerandam Antiquitatem, non alio teſtimonio innixus ni paenu proprio, ablegatis antiquis Patribus ſolo ſuo trutinatur judicio. Et nè longa ſit inductio noſtra lubet verba arrogantia refricare Natalis Alexandri: *Epipha-*

*phanius deceptus eſt*. *Severo Sulpitio non eſt fides adhibenda*. *Gregorius Turonenſis erravit*. *Sanctus Pater facilè errat &c.* O execrabiles Pſeudocriticos! *Deſipientes Sapientes deſpiciunt*, dicebat Xenophon ſequitur iſte: *Rejicito quaedam facta hiſtorica, adſumpta ratione quod de illis non meminerint ſacrae Literae*. Creſcit eundo improbitas. Naſutiores Critici hunc Canonem refricant & ad ethera extollunt, non animadvertentes, quod hoc rato, actum erit de Hiſtoria Joſephi, ac Euſebii; actum erit de Apoſtolorum Symbolo & de geſtis Deiparae & Apoſtolorum. Abbas de Fleuri ſua in hiſtoria de Virgine Deipara parcè agit addictus huic relato Canoni, ſcribit: *At enim retuli de Deipara Apoſtoliſque quicquid certi & confirmati deprehendi*. Perridiculus

ſanè

ſanè detegitur clariſſimus Criticus iſte dum dein accuratione maxima geſtis Apollonij Thianaei conſcribendis incubuit, deque ipſius ortu, parentibus, ſtudiis, geſtis, itineribus, officiis, lucubrationibus, immò pergrande ejus ingenii acumen & corporis venuſtam ſpeciem delineat & deſcribit; ut ſi ipſe ſocius fuerit. De ethnico iſto Nebulone tam mira cumulatè & minutatim ſcribit; de illibata divina Matre verò ferè nihil rejectis Ss. Patribus & omnibus venerandae Antiquitatis Proceribus; Euſebio, Nyſſeno, Epiphanio, Gregorio Turonenſi, Damaſceno. Quaeſo hercle, an fuerint ſectandi Critici iſti clariſſimi, aut potius conviciis & ſibilis inſectandi?

## Caput X.

### *De Conjectura*.

FUndamen Critices alterum eſt Conjectura, etiam à Tullio laudata *orat. pro Roſc.* circa quam Recentes ſuperius relati innumeras variaſque ſanxere leges. Sixtus Senenſis tres duntaxat ipſe fixit ut ea quae genuina ſunt ab iis quae ſecus ſecernere poterimus. *Inſcriptiones veras à falſis, germanas à fictitiis tria prae caeteris diſtinguunt: Tempus, Dogmata, Stylus*. Mabillonius quatuor: *Manuſcripta. Dictionis conſenſio aut diſcrepantia. Teſtimonium Auctorum qui de illo Opere meminerunt. Facta in eodem allata*. Septem adinvenit haereticus Cave. Novem Joannes Clericus, haereticus alter, & ſunt: I. Suppoſiti-

tii libri indicium eſt, ſi in veteribus Codicibus alii tribuatur cum nulla ratio eſt cur ejus habeatur cujus nomen in Editionibus praefert; interpolati verò ſi ſit in veteribus Codicibus ſine additamento. II. Si quae à veteribus ex libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in libro eadem inſcriptione inſignito, deſiderantur, aut alius eſt aut mutilus. Si aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet; ſi omnia inveniantur ſine mutatione, genuinus eſt; niſi aliae ſint ſuſpicandi rationes. III. Scripta quorum nulla mentio in priſcis Catalogis quae nec memorata ſunt ab ullo Scriptore ſequentium proximè ſaeculorum ut plurimum aut ficta judicanda ſunt aut minimum ſuſpecta habenda. IV. Quae diſertè ſunt rejecta aut in dubium revocata ab antiquioribus ea vix propter

Re-

Recentiorum anthoritatem admitti queunt. V. Liber in quo Dogmata leguntur iis contraria quae Scriptor cujus nomen praefert conſtanter defendit, non videtur ejus eſſe, ſi praeſertim Dogmata ſint alicujus momenti, aut interpolatus eſt. VI. Liber in quo memorantur res aut perſonae Scriptore cujus nomen praefert, Recentiores aut ejus non eſt aut ab alio eſt auctus. VII. Liber indoctus aut imperitia refertus, non poteſt ulla ex parte aut ſaltem totus Viro docto tribui, nec fabulis ſcatens Viro non inepto quem conſtat veri amantem fuiſſe, affingi; quamvis ex vetuſtis Codicibus eorum nomina praeferat. VIII. Libro in quo tractantur aut rejiciuntur Controverſiae natae poſt tempora Scriptoris cui tribuitur aut in quo deprehenditur Scriptoris illo re-

recentioris imitatio; ejus non eſt cujus nomen praefert; aut eſt interpolatus. IX. Si Stylus ſit diverſus à noto, aut ſaeculi aut Scriptoris Stylo, ejus non eſt quamvis nomen ejus praeferat; ſi ſit idem ac Stylus alius Scriptoris cujus liber cenſeri debet, ſi modo nihil obſtet. X. Vocabula ſequioris aevi indicant Scriptorem recentiorem; in traslatione verò ſi quid ſit quod non conveniat linguae qua ſcripſiſſe conſtat Authorem cui liber tribuitur, aut non eſt translata, aut eſt interpolata.

Suas etiam Arnaldus propoſuit; & ſunt ſequentes: I. Quoties non integrum de facto aliquo dubitare, ſivè quid in ſacris literis recenſeatur, ſivè uſque eo firmis teſtimoniis munitum ſit, ut non leve ſufficiant ejus veritatis argumentum; tunc fas eſt non

ad-

admodum moveri objectis Adverſariorum & in reſponſionibus probabilibus & poſſibilibus ſiſtere; quin ſolliciti ſimus oſtendere ea quae referunt reſponſa noſtra ita ſe habere. II. Hoc tamen non valet quum locus non eſt exiſtimandi certum & firmum eſſe factum illud; tunc etenim intereſt appoſita iis quae in contrariam partem allata ſunt reſpondere ut in aperto ſit eorum futilitas, neque audiendus eſſet is qui hujuſmodi rei adſerendae gratia proferret in medium; plura eſſe non controverſae veritatis quae petuntur momentis difficillimi explicatus. III. Cautum ſit ne Juris praejudicia cum veritate confundamus. Illa tunc mihi favent cum id enuncio quod majorem exhibet ſpeciem veritatis quàm oppoſitum. Non tamen ea ſatis ſunt ut veritatem à me ſta-

ſtare demonſtrent : Id unum commodi ex eis comparo ut Adverſarius teneatur quae in adverſum protulit confirmare. IV. Quando idem factum memorat Author Contemporaneus, ſivè alius centum duntaxat annis à re diſtans, praeſumptio aequali Scriptori ſuffragatur; graviſſimaſque neceſſum foret rationes praeſto eſſe ei qui alteri citius fidem adjungeret. V. Solis Scripturarum libris qui Canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre ut nullum eorum Authorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſimè credam; Alios autem ita lego ut quantalibet ſanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem quod ipſi ita ſenſerunt. VI. Cùm ſententia aliqua nova eſt, extraordinaria, minus credibilis atque ab unico Authore

pro-

pronunciata, eo loco quo labitur manifeſtè, ad eos ſpectat qui adſerunt, non verò qui negant, optimis illam momentis roborare. VII. Fidem omnem traſgreditur, homines propriis commodis officere atque adverſus praecipuam affectionem ſuam agere iniqua adeò ratione qua nemo quempiam niſi totius rationis expertem egiſſet exemplis confirmabit. Itaque ſi factum aliquod hac nota affectum cognoſces, vim ſanè maximam menti tuae inferre oportebit, ne illud fabuloſum ſuſpiceris.

Quatuor alias in medium adducit quidam Anglus, Carolus Leſchius, in ſuo Opuſculo. I. Neceſſe eſt, facta comperta eſſe, ſenſibus patere & de quibus aures atque oculi ipſi judicium ferre poſſint. II. Publica item ſint quaeque in Orbis

totius conſpectum venerint. III. Extent eorum monumenta publica & Coeremoniae ad poſteritatis memoriam inſtitutae ſint. IV. Oportet denique haec monimenta atque has coeremonias tum inde, cùm res accidit, exordium duxiſſe. Author Anglus has fixit Regulas ad demonſtranda Miracula quorum meminit Scriptura Sacra. Caeterum ſi ſtandum foret his poſitis, ruerent pleraque ex fidelium conſuetudine praecepta, ut Icon S. Dominici Suriani; & illud: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*. Sed à pluribus Pontificibus haec facta vindicantur.

Ca-

## Caput XI.

*Animadverſiones in has Regulas.*

IN Literatorum ore pervulgati ſatis jam ſunt relati Canones, Joannis Clerici praeſertim,& penes omnes qui tenuem literaturae cruſtam habent,circumferuntur; Quapropter animadvertendum putamus: Ne ſimus leves ad credendum, neque ſeveriores ad objiciendum in Eccleſiaſticae Hiſtoriae Patrumque lectione; Quintum excerpſit Canonem Clericus Calviniſta ex Divi Auguſtini eximia Epiſtola ad S. Heronymum 82. cujus propria damus verba. Ego enim fateor charitati ſuae: Solis eis libris Scripturarum qui jam Canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Authorem ſcribendo er-

raſſe aliquid firmiſſimè credam. At ſi aliquid in eis offendero quod videatur contrarium veritati; nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe Codicem vel Interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego ut quantalibet ſanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt. Sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos vel probabili ratione quod à vero non abborreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo. Hactenus Auguſtus Doctor, qui nos docet lectitare Patres cum ſollerti criterio& provida indagine; enim verò ſaepiſſimè invenimus ipſos oculares teſtes de eodem facto non convenire. En perſpicuum exemplar

Montfauconius Evangelium S. Marci ab eodem Evangeliſta elucubratum quod Venetiis ſervatum, ſcribit, in charta aegyptiaca, haud in membranis elaboratum; hocce teſtatur ut teſtis ocularis. Maximilianus Miſſorus, haereticus *epiſt.* 16. adfirmat ſe illud vidiſſe, adſtante Ab. Litha Bibliothecae S. Marci Cuſtode, hujus monimenti paginas ex membranis & graeco idiomate conſcriptas. Mabillonius tamen in ſuo Itinerario *fol.* 32. qui Venetiis etiam fuit, teſtatur, hoc monimentum D. Marci ſigillis clauſum eſſe, nec cuiquam patet. En tres inter oculares teſtes non leve diſcrimen. Sed ſtandum erit haud Montfauconio, nec haeretico Miſſoro, ſed Mabillonio. Intereà ſi teſtis ocularis hallucinari adhuc poterit, maximoperè igitur animadveten-

 dum

dum erit : Quum Author vir clariſſimus, probus, fideque orthodoxa praeditus fuerit, nefas erit de illius teſtimonio haeſitare, citra illius probitatis optimique nominis injuriam, & nos ſingularis imprudentiae notam ſubiremus, non acquieſcentes. Et crocitet ad ſuam libidinem cum Natali Bailletus in *Admen. art.* 12. detrectans teſtimonium Theodoreti, S. Gregorii Papae, S. Gregor. Turonenſis, S. Sulpicij Severi & aliorum Patrum. Priſci Scriptores Eccleſiae & ſi non ut teſtes oculati monimenta proferunt, hauſerunt dubio procul à manuſcriptis probatis quae ob oculos eorum verſabantur & in praeſentiarum interciderunt; & aequum ſanè eſt cogitare pleraque fuiſſe Veteribus & Majoribus noſtris cognita, quorum origo nunc nobis latet. Pro tuto

ex-

exploratoque cenſere debemus veteres Patres omnia, quae poſteritati conſignarunt de primoribus Eccleſiae temporibus circa Martyrum Acta, Coeremonias, jejunia, Lipſana, vel ex manuſcriptis deperditis, vel ex traditione Majorum mutuati ſunt; quocirca impudens eſt, abſdubio & ridendum conſilium factis à Veteribus noſtris traditis fidem detrahere, ut communiter effuſa licentia factitant mali Critici. Et ut ordinatim procedamus, ſequentes regulas adindimus. I. Facta illuſtria quae nil incredibile praeferunt, haeſitatione nulla recipienda erunt. Hujuſmodi eſt translatio Sanctae Domus Lauretanae relata à Fabio Biondi, à Jo: Baptiſta Mantuano Carmelitarum Generali, à Bartholomaeo Vallumbroſae, à Joanne Angelita & ab innumeris aliis, immò

& ab Eraſmo Rotherodamo teſte Caniſio . II. Si Facta publica non ſint & fabulam non redolerant, & in Scriptoris regione acciderint, ne reprobanda quidem, per leves conjecturas adverſas, ſed recipienda; talecumque eſt factum de fulgido ſydere à primis Veſperis ad alterum uſque diem Feſti Doctoris Angelici S. Thomae Aquinatis, prodeunte in Calabriae Oppido, vulgò *Belcaſtro* ſupra domum in qua ortum habuit Doctor Angelicus, in Templum inde commutatam. Et Sanctus Doctor ut ortu Calaber, vocat Pythagoram, ſuum conterraneum *lib. con. Gentes*. III. Dum Author nimiae credulitatis fama laborat non eſt audiendus, & maximè ſi amore vel odio affectus fuerit, ut fuit Bzovius in ſuis Annalibus, ſuum erga Ordinem amore flagrans, erga Ordi-

dinem Franciſcanum ſecus apprime; erga Fratres *de Familia*, praecipuè quos fecit Authores fraticellorum, Beguardorum & Beguinarum; quam impudentiam abhorrens clariſſ. Bail, ingenuè ſcripſit: *Animum Bzovii in pauperculam Franciſci Familiam atrociſſimum fuiſſe, nihilque magis eniti quàm eam contemptibilem; infructuoſam, infamem reddere*. Not. ad Conc. Vienn. Ideoque jure & merito in Republica literaria pro levi Conſarcinatore Plagiario & mendaciſſimo Hiſtorico eſt habitus, ſimillimus Nicolao Eymerico, teſte eodemmet Bail: *Nicolaus Eymericus, ſuſpectus Auctor, ubi agitur de negotiis Minoritarum, non minus quam Bzovius; quum eſſet Inquiſitor haereticae pravitatis &c.* to. 2. not. in Decr. Greg. XI.

IV. Aequum ſanè eſt, vetuſtos

ejuſdem regionis Scriptares, Alienigenis anteferre ; quamobrem Latinorum authoritas de Latinorum factis, Graecorum teſtimonio, eſt ſemper anteferenda. V. Dum factum aliquod refert Author unus quod à multis oppugnatur ſupparibus, tametſi veritas ab eo ſtet fortaſſe qui ſolus loquitur; ratio poſtulat, ut in eam ſententiam plurium deſcendamus. Secus autem ſi illi plures fuerint recentiores. VI. Si duo Hiſtorici factum tradunt de quo caeteri ſynchroni ſilent; audiendi ſunt qui referunt, etiam ſi unicus Author fuerit : *Accidit non ſemel*, rectè ſcribit clariſſ. P. Honoratus tom.1.diſſert. 7. reg.2. *Scriptoribus non fuiſſe ſtudium eas literis mandandi quae in oculis eorum verſabantur, quod ſcilicet ita pervagata forent ut fieri non poſſe videretur, illa à quopiam igno-*

*ignorari*. Eximii Judaei Philo & Joſephus ſilent Probaticam Piſcinam Hieroſolymis celeberrimam. Euſebius Pamphili ſilet Romae Coſtantini baptiſma, cujus mentionem fecit etiam ethnicus Zoſimus Comes, Conſtantini Synchronus *lib. 2. hiſt. Rom.* Doctor Seraphicus ſilet Indulgentiam Portiunculae in Actis S. Patris Franciſci. Immo & Euſebius ipſemet plura praeterit & ſilet, ut ſcribit S. Maximus, pleraque Opera ſuae Regionis, Hymenaei & Narciſſi qui Sacerdotes Hieroſolymis fuere; neque Panteni Opera deſcripſit, neque Clementis Romani, niſi duarum tantum Epiſtolarum; Nec meminit Euſebius Athenagorae qui Apologiam pro Chriſtianis adſtruxit, & librum de Reſurrectione mortuorum; nec Hieronymus meminit in Catalogo Scriptorum. VII.

Dum Veteres ſententias diſcrepantes tradunt; liberum erit ſequi eam quae videbitur veriſimilior. VIII. Concurrentibus duobus Patribus vetuſtis diſcrepantibus: ſtandum erit Patris calculo cujus Opera erunt à Conciliis approbata, vel qui erit Eccleſiae Doctor: quicquid crocitent innumeri Critici recentiores.

## Caput XII.

### *Exploratius expenditur Conjectura quaevis.*

Quot abſurditates & monſtra, quot affanias & lacinias ex levibus futilibuſque conjecturis excogitare & publici iuris facere non ſunt veriti mali Critici? Sociarum numerum Sanctae Urſulae, vel ad duas, *Undenam* nempè & *Emiliam* redigunt; vel

ad unam dumtaxat *Undecimillam* è ſolâ Amanuenſium oſcitantia; ſed S. Urſulae Sodalium numerum vindicat perdoctus Monachus Maurinus *lib. impreſſ. Ann.* 1678. Item Sibyllas abnegat fuiſſe, & Epocham ſtatuunt Carminum Sibyllinorum, praecipuè Dupinius quem eruditè perſtrinxit P. Petitdidierius Benedictinus Maurinus, & nos primo Tomo Eccleſiae vindicatae pro noſtra tenuitate quoque, contra abnegantes Sibyllas praecipua Diſſertatione diſputavimus. Innumera praeterimus alia quoad Criticorum libertatem & larvatam Conjecturae legem. Ne itaque ultra Conjecturae ſtatos fines impudenter eatur, haec monita damus: I. Non ſingulari Conjecturae & veriſimilitudini adhaerere debemus in ſubſidium à caeteris ſejungendi; ſed plurimas & ſoli-

 das

das conjecturas prius veſtigare debemus, necnon & adverſas rationes viriliter & funditus ſternere ut in tuto factum conjecturis noſtris ponamus; ſin autem in ſcopulis erimus; ſicuti malè accidit cuidam diſtorto ingenio qui contra Patrum torrentem adaucter obſiſtit hac Conjectura: *Nihil ita prodit falſitatem hiſtoriae quam Authorum in ea referenda diſſenſio*: Natal. Alexand. tom. 1. ſaec. 2. diſſ. 1. prob. 4. Quam ſpatioſam portam exhibet Heterodoxis adverſus omnia noſtra orthodoxa religioſus Theologus! II. Regula princeps eſt aequitatis & prudentiae judicium quo coactis omnibus quae pro re & contra rem conjici poſſunt, utriuſque partis momenta aequa veluti lance ſuſpenduntur. Sciatur herclè, hunc Canonem ſancitum fuiſſe à Dupinio in ſua prae-

fa-

ſatione & pleriſque in locis ab eodem refricatum: *praef. 2. p. fol.* 40. Et *diſſert. praelim. fol.* 98. & dein ſua elucubravit Opera citra aequitatem & ſine prudentiae ductu; enimvero in eis videntur ſententiae diſtortae, ratio inconſulta, nimia ad decernendum celeritas, nonnullarum cognitionum vicium, ſiniſtra rerum interpretatio, adſumpta officia, ingenii ſui levitas & imbecillitas. Sic etiam Eum vellicat P. Honoratus magna cum aequitate. III. Non eſt in re hiſtorica de rerum cum veritate ſimilitudine, de Conjecturis, de factorum convenientia magnopere laborandum ubi paratum eam rationibus abſolutis conſtituere. Hance regulam turpiter violat eximius Criticus Tillemontius *tom.* 1. *fol.* 634. qui contra praeclara S. Irenaei aliorumque Patrum teſtimonia ario-

latur S. Joannem non conceſſiſſe Epheſum ut ibi moraretur, ante Annum ſexageſimum ſextum ; contra ſeipſum pugnans, ajentem : Virginem Deiparam eodem ſecum iviſſe, aetatem ſiquidem octogintaquinque annorum egerat, itineribus incommodam. Perpendantur quaeſo poſt hanc ridiculam divinationem quae ſubnectit clariſſimus Criticus noſter: *At haec nihil niſi poſſibilia quaedam ſunt, gratis excogitata*. Adeòne Eminentiſſimus Hiſtoricus ſupra Baronium ? Similium ineptiarum ſunt ſcatebrae Opera etiam Dupinii, Bailleti, Simonij, Ab. de Fleurj & Natalis Alexandri. IV. Quum ea complectitur Hiſtoria quae Scriptoris tempori non congruunt ; Hiſtoria mendax declaratur. Per hanc regulam Critici noſtri floccifaciunt varias Liturgias, Opera Triſme-

gi-

giſti, S. Dionyſii Areopagitae; Epiſtolas Decretales primorum Pontificum ad Siricium uſque & pleraque Divorum Acta. Hic Iubet Simonij moderamen adnectere „ Haud expedit univerſum Actum aliquod reſpuere, propterea quod conſecutis inde temporibus non nihil aſcititium in illud illapſum ſit. Tum verò magis, cùm Additiones iſtae ſuſpicioſorum hominum Opera minimè fiunt qui dolo malo Actum illud vitiare intenderent. Aliàs majorem librorum partem explodere oporteret, cùm pauciſſimi ſint qui alienam manum aliquando non paſſi fuerint. Nullum pariter ad hanc diem extaret novi Teſtamenti exemplum ſivè graecum, ſivè latinum, ſivè ſyriacum, ſivè arabicum quod legitimum jure cenſeri poſſet; Cùm nullum afferri poſſit quocunque demum

idio-

idiomate exaratum, ab his additionibus omninò innoxium. *Hiſtor. crit. novi Teſtam. cap. 7. fol. 97.* Et Ruinartius addit: *Sed hinc nullatenus Actorum ipſorum autboritas minuitur.* Act. praefat. f. 8.

## Caput XIII.

### *Conjectura ex dicendi forma.*

ACcedit Conjectura quam praefert Scriptoris Stylus. *Dictio, Lydius veluti lapis eſt veritatem librorum indicans & falſitatem,* ſcripſit Dupinius praefat. 2. p. 1. Conjectura ex dicendi forma in Conſuetudine fuit Dioniſii Alexandrini, Euſebii Caeſareenſis, Hieronymi & Auguſtini; qui noviſſimus Divi Cypriani Epiſtolas de haereticorum baptiſmo expendens, ſic ſcribit

Ep.

Ep. 48. ad Vincent. *Non deſunt qui hoc ſenſiſſe Cyprianum, prorſus non concedant, ſed ſub ejus nomine fuiſſe confictum. Nos tamen duas ob res non negamus, illud ſenſiſſe Cyprianum; quod & Stylus ejus habet quandam propriam faciem qua poſſis agnoſci:* Exceptionem patitur Regula haec, ut clarè perſpicitur iiſdem verbis Divi Auguſtini: *Stylus ejus habet quandam propriam faciem*, hoc eſt quandam ſimilitudinem, ut in hominibus perſaepè accidit, nihiloſecius non ſunt iidem. Sic Stylus Cypriani in Epiſtolis ad S. Stephanum Papam quamdam dumtaxat habebat ſimilitudinem, ſed revera non erant Cypriani, ut cumulatè demonſtrant doctus Jeſuita Gallus P. Tournemine & noſter P. Mag. Miſſorius. Epiſtolae Catholicae Divi Petri contra quandam habent abſimilitu-

di-

dinem, Doctore maximo teſte: in Catal. *Simon Petrus duas ſcripſit Epiſtolas quae Catholicae nominantur, quarum ſecunda à pleriſque negatur propter Styli cum priore diſſonantiam*; & tamen de Epiſtolis iis nemo inficias vadit. Eſt nanque riſui locus, emunctae naris Criticos in Stylo diſpiciendo, de eodem Opere diverſa judicare: Librum Tertulliani *de Poenitentia* Eraſmus, habita Styli ratione, ſpurium cenſet; Rigaltius genuinum Florentii Tertulliani arbitratur. Homilias S. Jo: Chryſoſtomi in Acta Apoſtolorum Eraſmus cenſet, nihil eſſe Chryſoſtomo magis indignum; Abbas de Billy exiſtimat, nihil eſſe ad Chriſoſtomi dictionem magis compoſitum. Et ne longa ſit oratio noſtra, innumera his ſimilia praeterimus Opera à Launojo vellicata ob le-

vem

vem ex dicendi forma conjecturam.

## Caput XIV.

*Conjectura ex Operibus ducta.*

Conjectura ex Operibus, dogmata tradentibus vel innuentibus poſteriora, indicium faciunt falſitatis. Hoc rato Canone, innumera venerandae antiquitatis monumenta, dubia fecere mali Critici. Quia vox *Conſubſtantialis* poſt Arianorum damnationem prodiit, hac iccircò levi conjectura, omnes Patrum lucubrationes hanc vocem redolentes, ab Eccleſiae Primordio, ad Concilium Nicaenum uſque liberè abdicant. Sed quàm perperam, ageſis, perſpicuè paucis videatur; enimverò in omnibus Synodis ne dum in Nicaena, Pa-

tres

tres omneſque Eccleſiae Optimates haud proprio paenu, ſed conſultis antiquis Patribus haereſes proſcripſere: teſtis locuples Divus Athanaſius eſt *epiſt. ad Afr.*
„ Epiſcopi contra non has voces
„ ipſi excogitarunt, ſed eas a
„ Patribus conteſtatas accepe-
„ runt & ſcriptis ſuis inſerue-
„ runt; ſiquidem priſci Epiſco-
„ pi ab hinc annis centum & tri-
„ ginta, tum qui Romae tum
„ qui in noſtra Civitate Pontifi-
„ catum geſſere, accuſaverunt
„ eos qui Filium creaturam dice-
„ rent, aut qui negarent Eum
„ conſubſtantialem Patri. Haec Athanaſius. Et nos fermè, ut fecerunt Majores noſtri in Opere noſtro polemico *Ecclſiae vindicatae*, ſivè *Haereſeologiae* recentes Haereſes confutamus Patrum antiquiorum teſtibus. Quid mirum, ſi Patres Spiritus Sancti

af-

ſtatu dogmata ſtatuere contra haereſes priuſquam ipſae ortae fuerint? Hance veritatem perſpicuè demonſtrat contra Julianum Magnus Auguſtinus *lib.* 2. *Oper. imperf.*; Et alibi contra Pelagianos, ſcribens: *Haeretici, novi inimici Gratiae Chriſti, longe ante reperiantur, convicti eſſe quam nati*: lib. de Don. Perſ. c. 2. Verùm ſi in aliquo Patris Opere Haeretici nomen inveniretur, explorata erit mendacis Operis nota. Quaecunque in Opere aliquo tempus poſterius ſignificant, dies falsò inſcripti, commemoratae perſonae, Auctores producti, hiſtoriae traditae, Urbium & populorum nomina quae aetati qua ſcribebat Author non congruunt: hae omnes ad tempus ſpectant Conjecturae. Circumferèbatur, ſaeculo elapſo, opus Divo Cypriano adſcriptum,

Carolo Magno à Cypriano nuncupatum, poſt plurima ſaecula naſcituro. Epiſtola ad Demetriadem inter Divi Auguſtini Opera, invenitur haud Auguſtini, ſed Pelagii, ex ipſius S. Doctoris luculenti teſtimonio. Liber vitae Divo Clementi adſcriptus, haud eſt Sancti Pontificis, dum tuetur uxorum communitatem &c. Ulterius ad Dogmatum etiam conjecturam referri debent ea quae poſt Scriptores illorum interitum prodita ſunt; voces ad illa uſitatae quae tum non invaluerant; errores, Coeremoniae, Conſuetudines quarum per id temporis nullum prae oculis erat veſtigium; Opiniones veris ſententiis illorum Scriptorum adverſantes; atque Hiſtoriae manifeſtò fabuloſae; univerſa haec peculiares quaſdam inſtruunt probationes ſub Dogmatum proba-

bationibus comprehenſas. In cenſum ſtyli veniunt haud voces tantùm, dicendi formulae & locutiones, ſed ſermonis etiam ſtructura, ſcribendi modus facilis, expeditus, perſpicuus involutus (ut Pictoris opus) eloquutio, figurae rerumque nectendarum ratio. Tum denique locum habet authoritas, quum opus vel probant, vel improbant; quum ipſius è re nata verba non faciunt; quum totam latuit Antiquitatem; quum omnes quotquot Operum alicujus Authoris meminerunt aut Indicem texuerunt, de peculiari quodam nihil omninò habent; quum librum aliquem Catholicis perutilem non laudarunt ii qui oblata id praeſtandi occaſione laudare illum poterant & debebant: hoc quodcunque eſt, Dupinio Authore & P. Honorato referente,

per-

pertinere ad Veterum, quum teſtimonium, tùm reticentiam.

## Caput XV.

### *Conjectura à rerum Convenientia.*

DIvus Vates Ezechiel *cap. 15. verſ. 3.* hiſce verbis pleroſque vellicat recentes Criticos: *Vae Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident.* Super omnes Majores ſe non verentur arbitrari, proinde *ſpiritum ſuum ſequentes*, Antiquos peſſundant. Argumentum aliud eſt penes eos, à rerum deſumptum convenientia quaeque veroſimilia ſunt. Obvia paſſim hujuſce argumenti ſunt facta innumera inter Opera Tillemontii, Dupinii, Natalis Alexandri, Launoj aliorumque Criticorum, Patrum teſtimonia deſerentium,

ut

ut futiles leviſſimaſque ſuas efferrent Conjecturas. De his locutum fuiſſe Apoſtolum planè videtur: *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*: Rom. 1. cap. 22. Abjiciunt Ecclebaſticae Hiſtoriae tot explorata facta, ac tenent Hiſtoriae prophanae tot paradoxa. Sit praeſtò Epimenidis factum à Tullio 1. *de diu.* 2. *de leg.* & ab Apulejo *lib.* 2. *flor.* relatum „ Epimenides Poeta Epi-
„ cureus fuit, Patria Cretenſis,
„ aetate Pythagorae qui à Patre
„ Agiſarcho in agrum ad cu-
„ ſtodiendum pecus miſſus, in
„ quodam antro obdormivit an-
„ nos lxxv. Hinc emanavit pro-
„ verbium: *Epimenidis ſomnum*
„ *dormire*, in eos dictum qui
„ perpetuum agunt ocium.
Ecquando igitur Poeſim didicit? Ecquando carmina condidit? Veram ergo graecanicam fabulam

ad-

adferunt Tullius; Gelliuſque, & eam patulo tamen ore degluti- unt. Et ut ad cenſum redeat oratio noſtra; conjectura equidem à rerum convenientia haud leve Critices fundamen foret, ſi ſolidis ſtrenuiſque rationibus inniteretur; alioqui verò ridicula evadit. Natalis Alexandrius levibus rationibus obarmatus Baptiſma Conſtantini fuiſſe Romae abnegat. Vehementer tamen calculum ſuum ratum reddidiſſet, ſi Divi Sylveſtri tempeſtate, Auguſtum procul inde verſatum oſtendiſſet. Dum Conjectura à rerum Convenientia nitidis ſolidiſque monumentis eſt fulta, plauſibiliter vigebit; ſin minus, cordatum vetuſtumque Auctorem adoriri, haud aequum videtur, imò diſtorti ingenii argumentum eſt, *Extremae quippe dementiae eſt, in medio & perſpi-*

ſpi-

*ſpicuo die commentitium lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid ulterius diſcutit, MENDACIUM quærit*: Edict. Valentiniani & Martiani in Concil. Calchedonen. act. 3. Noſtros hortamur ſeriò, ut ne adhibeant Etherodoxorum criticas Regulas, his enim Divinam Scripturam, Sanctos Patres, Eccleſiaſticam Hiſtoriam authoritate minui neceſſe erit, nec unquam Dupinij, Bailleti, Fleurj, Tillemontii, Launoji & Natalis Alexandrij; ſecus lectio ſancta divinae Scripturae, Patrum, Eccleſiaſticae Hiſtoriae, ex neceſſitudine implicabitur. Regulas quamplurimas propria finxerunt minerva iidemque non inſiſtunt, niſi dumtaxat ad obſiſtendum Patribus. Sciſcitemur Hiſtoriae Eccleſiaſticae Eminentiſſimum Parentem: an Divae

Theclae Acta à Baſilio Seleucienſi conſcripta, ſint genuina. Reſpondebit, genuina quippè eſſe, idque ſolidiſſima omnium criticarum Regula probans, quod pleraque in eis comprehenſa leguntur penes Origenem, Epiphanium, Chryſoſtomum, Nanzianzenum, Ambroſium, & Auguſtinum: *Baronius ad Annum* 47. Tillemontius verò audacter reſpondet cum Natali *Hiſt. ſaec.* 1. *cap.* 12. *num.* 4.: *Haec Acta eventis fabuloſis plena eſſe, quae de ipſorum authoritate detrahunt & in fictionis ſuſpicionem adducunt:* to. 2. adnot. in S. Thecl. fol. 528. Immemor ſui ipſius, dum alibi dixerat: *Levia, excuſatione digna eſſe & rerum ſummam non invertunt, adeoque apta non ſunt ad exterminandam Hiſtoricorum auctoritatem in aliis quae referunt factis; cùm nemo Scriptorum*

*torum ſit certus adeò & accuratus in quo ſimilia quaedam non occurrant* : to. 1. annot. 10. fol. 629. Et to. 1. in praef. fol. 16. *Quoties occurrerunt res, vetuſtis & gravibus Scriptoribus confirmatae quorum teſtimonio gerendus mos eſt ab Eccleſiae Catholicae Alumnis, non eſt viſum ab iis recedere nos poſſe*. Videatur ulterius Critices uſus Dupinii, Conjectura à rerum convenientia qua abijciunt Decretales Epiſtolas Summorum Pontificum ad Sanctum Siricium uſque ut ſuppoſititias ex Blondello Calviniſta *lib. Pſeudo-Iſidorus*. *Dupin: tom.* 1. *fol.* 662. *Natal. tom.* 3. *hiſt. ſaec.* 1. *diſſ.* 21. I: *Illas Antiquos omnes latuiſſe, nec unquam fuiſſe ante* IX. *Saeculum memoratas*. Hi, duo literariae reipublicae Archontes à Juvenibus magnifiunt, & tamen malignantis naturae argumēto u-

D 2 tun-

tuntur ad Decretales Epiſtolas ]erſtringendas , totius Mundi reverentia conſecratas ; immò mendaci fallacique laborant ſuppoſito , ut fatebitur omnis polemicae Theologiae non hoſpes . Genuina eſt prima Epiſtola S. Clementis ad Corinthios , penes Veteres omnes illuſtris ; genuina eſt & ſecunda , non apud Veteres r probata , ut dicere videtur Epiſcopus Caeſareenſis , ſed antiquitati vix nota ut Fellus & Bullus emendant , & ipſe Doctor Maximus quamvis accuſare videatur , contra Rufinum adducit . Genuinae ſunt S. Cornelii duae nec Antiquos latuere ; ſunt namque inter D. Cypriani Opera ; & altera ad Fabianum Antiochenum eſt penes Euſebium . Illa S. Julii ad Orientales & altera ad Alexandrinos , Veteribus fuerunt celeberrimae : prima eſt

apud

apud Sanctum Athanaſium & ſecunda apud Theodoretum . Penes ipſum Theodoretum, immò etiam penes Socratem & Luciferum Calaritanum, & S. Hilarium ſunt Epiſtolae illae Liberii. Epiſtolas S. Damaſi ſtrenue vindicat Cardinalis Aguirre poſt noſtrum P. Magiſtrum Malvaſia. Et S. Leo I. ſcripſit ad Epiſcopos per univerſas Provincias conſtitutos: *Omnia Decretalia Conſtituta omnium Praeceſſorum noſtrorum, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, ut ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari*. Et Decretum Gelaſianum: *Decretales Epiſtolas quas Beatiſſimi Papae diverſis temporibus ab Urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter recipiendas decernimus*. Ecce noſtrorum Criticorum diſputandi modum,

ſuopte ingenio in dubium omnia revocantes: nec alium hoc aevi ſervavit PetrusGiannonius ſua in Civili Hiſtoria hujuſce Neapolitani Regni.

## Caput. XVI.

### *Conjectura à ſilentio Veterum.*

ECquem latet, argumentum hocce, penes Scholaſticos, negativum infirmumque vocitari? Dictu mirum, quam Heterodoxi & pravi Critici jactitent ac in honore uſuque praeſertim habeant. Eo ad ſatietatem Launojus & Baſnagius utuntur in venerandae Antiquitatis excidium, itemque Dupinius qui ſcribit in praefat. fol. 39. *Argumentum hoc, negans dictum, multum identidem gravitatis habet & authoritatis.* Nos verò nil moramur ut

ma-

malignantis naturaē argumentum deſpicere, quod probè ſcimus ex Divo Auguſtino. Quaeſierat Ipſe à Fauſtò Manichaeo, cur vetus non admitteret Teſtamentum, verbis Servatoris roboratum: *Non veni ſolvere legem aut Prophetas?* Reſpondit Hàereticus: Inane illud eſſe teſtimonium, quia unius Evangeliſtae, ſilentibus omnibus. Et hinc ut mali corvi malum ovum hóc argumenti genus praedictis credimus ortum eſſe. Lutherani & Calviniſtae proinde ut Fauſti Diſcipuli, ex ſilentio Patrum primoris ſaeculi quamplurima abnegant Sacramenta. Doctor Maximus *Comment. Epiſt. ad Galat. cap. 2.* ſcribens de Apoſtolorum principe qui Cathedram reliquit Antiochenam & Romam tranſtulit, ſilente in Actibus Luca, hoc Critices argumentum

adſtruit: *Mirum non eſt, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa quae Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Hiſtoriographi licentia praetermiſerit; & non ſtatim eſt contrarium, ſi quod alius ob cauſſam dignum judicavit relatu, alius inter caetera dereliquit.* Si Eraſmus & Dupinius haec ab Hyeronimo didiciſſent, profecto circa Symboli Apoſtolorum Authorem non haeſitaſſent, ob Lucae ſilentium; & circa Liturgiam S. Jacobi: Nec Natalis,nec Claudius Jolius, nec Abbas de Fleurj ſimileſque tot novitates, in medium non adferrent & per Europam non vulgarent. Sed quod valde mirum eſt: Natalis Alexandri omnia momenta in hocce negativo fundata argumento, quae ſibi non arrident, ſemper ſubdit: *Reſpondeo: haec argumenta futilia eſſe quia negan-*

*gantia ſunt*. Item : *Argumenta ab authoritate negativa, nullius eſſe ponderis*: ſaec. 1. diſſert. 15. Quae verò dein ſibi arridènt, lubentiſſimè concedit : En Contextum : *Unde id probabunt Adverſarii? Num ex eo quod nuſquam illarum meminerint? At id non ſequitur. Licet enim in eorum Operibus quae nunc extant, mentio harum Epiſtolarum nulla facta ſit, fieri tamen poteſt, ut in iis quae perierunt, qualia fuiſſe quamplurima notum eſt, commemoratae fuerint. Sed & ſi nullibi earum meminiſſent, non ſequitur quod eas penitus ignoraverint; ſiquidem neceſſe non fuit, ut omnes Scriptores Eccleſiaſticos nominarent quos noverant aut eorum Opera citarent*: Tom. 2. ſaec. 1. diſſert. 22. Perpendatur verſatile ingenium Eccleſiaſticae Hiſtoriae Auctoris qui ſui emunctae naris

Critici verba, aliquando utinam advertiſſet: *Neceſſarium eſſe homines hominibus credere, niſi vita, pecudum more degenda ſit... Qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non ſolum ſtulti ſunt, ſed Gigantum more cum Diis bellant, hoc eſt natura pugnant. An verò quicquam tam puerile & ſtultum dici poteſt quàm ſi ea quae viderunt alii, negemus eſſe quia ipſi non vidimus? Credere igitur neceſſe eſt, niſi pueris ſtultiores eſſe volumus*: Canus de locis lib. 11. cap. 4. Quam improbè abnegat Natalis Pontificum Decretales, quamplurimas Conſtitutiones Apoſtolicas, aliaque Eccleſiaſtica monumenta. Quid plura? Quoad Patrum Eccleſiae ſilentium ſatis tandem haec ſit Animadverſio. Divus Auguſtinus ingenuè fatetur, ſe cum Aurelio ſene, Epi-

ſco-

ſcopos ejuſdem Eccleſiae Hipponenſis fuiſſe, contra Sanctiones Nicaenas ob Canonis inſcitiam & Codicum deficientiam, ut ſcribit ipſemet S. Doctor. Hoc facto explorato, ſilentii Patrum cauſſa, videtur dilucidè: Non enim erat praeterire facta ob factorum falſitatem, ut perperam ſeveriores Critici conjiciunt, ſed ob Codicum penuriam; quoniam ut notum eſt Lippis & Tonſoribus typis excudendi ars non jam coeperat. Et haec cauſſa fuit ut S. Maximus ſic ſcriberet de Euſebio: *Euſebium quamplurima omiſiſſe, quae ad ejus manus non pervenerunt. Etenim nec prorſus omnia ſe collegiſſe, ait; immo magis fatetur libros qui ad ipſum non pervenerunt eſſe numero ſuperiores*. Qua de re merito ratio poſtulat, vocare hoc ſilentium, argumentum negantium mali-

gnantis naturae, nam qui illi innititur, videtur haud quaerendae veritatis cupidine ductus, ſed obtrectandi libidine improba; velut dicebat Tullius: *Non delectu, aut ſapientia ad judicandum ducuntur, ſed impetu & quadam etiam temeritate:* Pro Planc. A qua ductum nemo non videt, Samuelem Baſnagium ſuis in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis, ubi temerè & adaucter omnia noſtra orthodoxa in dubium revocat & pleraque conatur evertere, praecipuè Confirmationis Sacramentum ſolo Veterum ſilentio & futilibus Conjecturis; quem tamen ſolida Diſſertatione refellit P. Joſeph Terralavoro Congregationis Oratorii Neapolit.

## Caput XVII.

### *Eccleſiarum Traditiones.*

ERubeſcenda quidem res, noſtrates, Italos nempe & juvenes praeſertim Sapientum rumoris ambitioſos, haereticos & quorumvis damnatos libros commendare admodum & caeteris anteferre. Dolent quod Eccleſiae vetito ab iis legendis retinendiſque arceantur. Quin rident audaciores qui, Eccleſia fruſtra reclamante, in Muſaeis habere gaudēt & aſſidua verſant manu: *Quid Athenis* cū Florentio Tertulliano exclamem *& Hieroſolymis? Quid Academiae & Eccleſiae? Quid Haereticis & Chriſtianis?* l. de Praeſc. c. 7. Hanc exitioſam peſtē *Pernicioſum poſtremorum Criticorum inventum*, vocat clariſſ. Boſſuet. Quo fit ut ipſi & eorum veſtigia pre-

prementes, non in haereſis modo, ſed & in Atheiſmi profundum paulatim eant. Ridiculos & probroſos ſe reddidere Simonius & Dupinius, dum primus exprobrat Dupinio, Proteſtantium Opera exſcripſiſſe; alter Simonium inſimulat, Spinoſae fabellis ſubſcripſiſſe. Pro noſtra optima Critice illud Tertulliani inſtitutum ſit,, Nobis & ſi quaerendum
,, eſſet adhuc & ſemper, ubi ta-
,, men quaeri oportet? Apud
,, Haereticos? Ubi omnia extra-
,, nea & adverſaria noſtrae veri-
,, tati, ad quos vetamur acce-
,, dere? Quis ſervus cibaria ab
,, extraneo, ne dicam ab inimi-
,, co Domini ſui ſperat? Quis
,, miles ab infoederatis, ne di-
,, cam hoſtibus Regibus, donati-
,, vum ac ſtipendium captat, niſi
,, planè deſertor & transfuga &
,, rebellis? Etiam Anus illa in-

tra

„ tra tectum ſuum drachmam re-
„ quirebat; etiam pulſator ille
„ vicini januam tundebat; eti-
„ am vidua illa non inimicum li-
„ cet durum Judicem interpella-
„ bat. Nemo inde ſtrui poteſt
„ unde deſtruitur; nemo ab eo
„ illuminatur à quo contenebra-
„ tur. Quaeramus ergo in no-
„ ſtro & à noſtris & de noſtro: *lib. de Praeſcr. cap.* 12. Hoc expendē-dum poſtulat ſubmiſſio filialis: integrae Eccleſiae fidei aſſentiaris neceſſum eſt. De factis Eccleſiaſticis, haec ſcitu digna habemus in Decretalibus: *Judicium Dei, veritati quae nec fallit nec fallitur, ſemper innititur; Judicium autem Eccleſiae nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſaepè contingit & falli*: in cap. à nobis & 2. de excommunicat. Malumus interea cum Eccleſia deficere quàm mille Criticis ad-

adhaereſcere. Si pium hocce documentum Eraſmus habuiſſet, abſdubio, modo ſemichriſtianus univerſim non audiret. Piam Matrem Eccleſiam inſimulare, perfricta fronte, non verentur, quatenus nobis in Liturgiis, in Martyrologiis, Breviariis facta proponit quae naſutulis non arrident. *Authoritatem Breviarii Romani efficere non poſſe, ut fabulae in hiſtorias evadant; nec cenſeri debere exploratae & inconcuſſae veritatis quaecumque Breviario ſunt inſerta*, ſic clamat ad ravim uſque pravus quidam Criticus: *Natalis Alex. ſaec. 3. hiſt. diſſert. 20. de lapſu Marcellini*. Nonne ſuperſtitioſum foret, Hoſtiam non conſecratam adorare, quae hujuſmodi tamen eſſe credatur? Sic urget malus Criticus alter, Bailletus. An contra non eſt hic Religionis actus perinde

Deo

Deo gratus ac ſi Hoſtia illa reverà Chriſti Corpus contineret? Id autem propterea fit quod cultus Hoſtiae praeſenti adhibitus, ad objectam ſibi rem veram feratur, nimirum ad germanum Chriſti Corpus, quamvis proximè objecta res illud non adferat; rectè ſcribit Honoratus *diſſer*. 7. §. 3.

## Caput XVIII.

### *Traditionum Canones.*

ECcleſiae Traditio ſuas habet regulas quas hic damus è bonis Criticis prehenſas.

I. *Nulla eſt pia Traditio recipienda quae argumentis rei de qua agitur, aptis non fulciatur.* Ablegandaſunt extrema: Nimis citoque credere, aut non fatis. Sicuti leve eſt, nimis credere, ita immoderatae Critices eſt, fa-

ctum

ctum hiſtoricum, principiis firmis innixum, non recipere.

II. *Piae Opiniones fabuloſum nihil dicant, ridiculum quod fieri non potuerit & ſuperſtitioſum.* Ab Eccleſiae primordiis hunc Canonem habuerunt Patres: audiatur Divus Auguſtinus: *Non ſit nobis Religio in phantaſmatibus noſtris; melius eſt enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt*: lib. de ver. Relig. c. 55.

III. *Oportet nos poſſe juſtè & ritè praeſumere, Eccleſiam, Epiſcopos, alioſque primores piarum opinionum receptores, eas non ſine ratione aliqua, quamquam nobis incomperta, adoptaſſe.* Satis ſuperque perſpicua eſt primorum Paſtorum ſollicitudo ſuas erga oves ut à moribus à vera pietate alienis averterent. Nuſquam veriſimile eſt, illos ſanctiſſimos Viros

ros Traditionibus fabuloſis ſtraviſſe viam.

IV. *Neceſſum eſt ad trutinam ponere, an de morum factorumque veritate ſit haeſitandi locus: ſi de illis haeſitantes eſſe poſſumus, afferantur neceſſe eſt argumenta certa & evidentia, utque eorum falſitas poſſit eluceſcere.* Etiam Sanctus Juſtinus Martyr Gentibus admonebat ſcribens „ Exacta rerum perſcrutatio, ea etiam ipſa quae ſaepenumero rectè ſe habere viſa ſunt, alia omninò quam prius apparuerant, oſtendit, quandoquidem veritatem ipſam examinatio diligentior extorquet: *lib. admonit. Gent. in init.* Sed huic Arnaldi verba lubet adnectere: Diſtinguendum eſſe id quod appellamus praeſumptionem juris, a veritate. Praeſumptio mihi favet quoties majorem habet veritatis ſpe-

ſpeciem quod dico ; quam quod dicitur adverſum me ; verum hic non ſatis eſt ut norim veritatem mihi adſtipulari. Quicquid commodi ex ea re capio eſt ut is qui contradicit, teneatur quae pro ſe faciunt confirmare. Atqui praeſumptio videtur eſſe à piis opinionibus quae in libris uſui Eccleſiae deſignatis reperiuntur. Praeſumptio haec robur habet in poſſeſſione multorum ſaeculorum, atque nonnullorum Authorum teſtimonio. Quod facit ut etiam ſi Traditionum iſtarum aliqua ſingillatim in rei ſumma fabuloſa ſit, ad eos non ſpectet, qui illam propugnant, ipſius certam veritatem aut probabilem demonſtrare; ſed illorum eſſe qui adverſantur, falſitatem ejus vel ſuppoſitionem extra aleam ponere. Haec Arnaldus, & rectè quidem.

V.

V. *Nil habeant Traditiones iſtae adverſus mores & tempora quibus illae obtinuerunt; vel adverſus conditionem illorum qui in his Traditionibus locum habent.*

VI. *Cavendum etiam eſt, ne rerum ſumma complectatur pugnantia invicem, aut ne adjuncta quaedam tantummodo ſint quae cum Facto praecipuo non conſentiunt.*

VII, *Traditiones, mores, Facta hiſtorica ut non ſint ab Scriptoribus ejuſdem aevi oppugnata, vel ab aliis quorum authoritas de illorum falſitate nos certos efficere poſſit.*

VIII. *Neceſſe eſt iis quae contra obiiciuntur, commodè ſatisfieri poſſe.* Quae eſt juxta regulam clariſſ. Mabillonii : ſufficit ad probandam uſitatae rei antiquitatem, refutare argumenta quae proponuntur in contrarium.:

*Diſſ.*

*Diſſert. de Azimo cap.* 8.

IX. *Si quando Traditiones iſtae aut mores aliquid complecterentur quod omnibus Regulis iſtis accommodare uſquequaque non poſſet; nefas eſſet illas ſupprimere quin ſeriò expenderemus : Utrum nec ne ſuppreſſio haec majori futura eſſet Populis offenſioni, quam fallax uſus reiiciendus; atque an expediret magis id tolerare quod ſine majori offenſione aut tollere aut oppugnare non poſſumus*. Hae ſunt interea leges Traditionum quae ad Criticen attinet; Traditionum Apoſtolicarum, minime-gentium.

Tres dumtaxat affinxit Doctor Sorbonicus Launojus. *Prima* eſt: ut de eo quod in Traditione poſitum dicitur, diverſis & temporibus & locis ſcriptum ſit a pluribus exploratae fidei Viris qui producantur in teſtes. *Secunda* eſt; ut Scrip-

Scriptores illi niſi verbis omnibus at certè ſenſu conveniant in teſtimonio quod de re quae accepta per Traditionem creditur perhibent. *Tertia* eſt ut iidem Scriptores ad rei geſtae originem, quae Veritatis caput eſt, continua ſerie reducantur.

Pro juvenibus hanc generalem reponimus circa has Regulas animadverſionem, animo intimè figendam. Ex Haereticorum Officinis, circa Traditiones, prodiere plerique Canones ad eliminandas Eccleſiarum pias Traditiones, ut hi vafri inde illas Apoſtolicas, de medio tollerent, diabolico more, ut innuit S. Chryſoſtomus in Ep. ad Epheſ. ſerm. 14. *Solis duntaxat initiis opus eſt diabolo, ſolum hoc ei laborioſum eſt; ſi vero nactus fuerit initium nocendi, omnia ſibi ipſe ſuopte ingenio veſtigat & amplificat.* Fortes conſtanteſque

ſimus

ſimus in noſtrae ſapientiſſimae Matris Eccleſiae Traditionibus. In noſtris Criticis Regulis, Criterium noſtrum ſit ſemper, perantiqua earum poſſeſſio, juxta aureum dictum Ludovici VI. Galliarum Regis ad Sanctiſſimum Summum Pontificem Calliſtum Secundum: *Quod antiqua poſſeſſione acquiritur, nullo, ut fertur jure adimitur, etiam ſi de jure Romanae Eccleſiae fuiſſe cognoſcitur*: Luc. Dacher. to. 3. Spicileg. Diſtorta quorumcumque Authorum ingenia peſſundare tenemur, quia exploratum dilucidumque quippe eſt quicquid dixit ille Ethnicus: *nimium altercando, Veritas amittitur*.

## Caput XIX.

*Complures excutiuntur Regulae:*

QUi Critices culmen ſe attigiſſe falsò putant, haud paucos evulgavere Canones quos nunc expendere, curae operaeque precium erit.

I. *Qui pias propugnat Traditiones, earum fontes indicato, & authoritatem oſtendito.*

Hoc verò civili ſocietati & cunctis fere legibus diſſonum ut animadvertit Illuſtriſſ. Canus. Ii ſi ſunt, rectè etiam ſcribit recens quidam Gallus, qui adoriuntur pias Traditiones in quarum poſſeſſionem à multis ſaeculis pedes poſuerunt Chriſtifideles; cumque ipſorum eſſet in eas ferri ſolidis rationibus quae illarum falſitatem aperire poſſent; exiſtimant jus eſſe ſibi opiniones haſ-

ce laude dignas reiiciendi, niſi ipſarum pateat origo, progreſſus & diuturna poſſeſſio tabulis authenticis & ab omni diſputatione remotis: *Anon. diſſert.* 2. §. 2. Habemus hujuſce poſſeſſionis privilegia. Primum eſt, ex hac poſſeſſione effici praeſcriptionem quandam contra quam nihil eſſerri inſcribere poſſit, niſi monumenta quae manibus habemus quae poſſeſſionis hujus juſticiam oſtendunt. Alterum eſt, tametſi jus fidelium de ſanctis Inſtitutis iſtis evidens non foret, debere tamen pro ipſis rectum Judicem ſententiam ferre; quandoquidem ubi Jura utrinque aequalia ſunt, poſſeſſio antecellit; immò quoties etiam dubium jus eſt & incertum ut contendunt eſſè illud Eccleſiae de piis Traditionibus, tum melior ſemper eſt conditio poſſidentis.

Quan-

Quanti igitur non erit poſſeſſio multorum ſaeculorum cujus confirmatum fuit jus conſuetudine perpetua & Scriptoris alicujus teſtimonio; poſſeſſio, inquam, continenter pacifica, optimaeq; fidei neque unquam gravi aliqua oppoſitione interturbata ante poſtrema haec tempora in quibus Critice fulta quibuſdam argumentis negantibus eam id moliri conata eſt. Poſtremum poſſeſſionis hujus privilegium eſſe, eos qui gaudent illo, cogi non poſſe ut jus ſuum rationibus confirment. Ipſorum etenim eſt qui de illo controverſiam movent, in medium adducere momenta conſtantiſſima quibus poſſeſſio haec & juris legitimi inde orta praeſumptio deſtruatur.

II. *Facta hiſtorica ut firmè credantur, an ſint plane certa, diſpicitor.*

Hoc ſtrato Canone ruent perbellè omnia Tillemontii hiſtorica monumenta, Bailleti Geſta Sanctorum, Natalis Alexandri Eccleſiaſtica Hiſtoria, Launoj, Thierii & Dupinii Opera narrationibus dubiis, incertis & vix gratiſque probabilibus undequaque referta. Opus hiſtoricum haud eſt ut Opus dogmaticum; Dogma etenim ſemper certum & probatum retinet; hiſtoria verò probabile. Eccleſiaſticae Hiſtoriae Scriptores ipſa ducti neceſſitudine, precioſa venerandae Antiquitatis collegerunt fragmenta, aliquam perpendentes probabilitatem verique ſimilitudinem retineri. Tillemontius ipſemet etiam fatetur „ Fortaſſè petiiſſent homines veritatis ſtudioſiores, ne adhiberem monumenta praeter illa quae locus eſt certa omnino & firma exiſtimandi. Nihilo tamen

men minus profiteor ingenuè, me non mihi hoſce limites circumdediſſe ſed uſum aliis fuiſſe quae omninò autentica non videntur. Verùm providimus diligentèr; ut haec à prioribus ſecerneremus; atque judicium eorum habendum, ne pietatis obtentu haec eadem pietas fidelium deciperetur, ſivè in contextu, ſive in adnotationibus collocavimus.) Ad riſum nos movet clariſſ. Abb. de Fleuri adſerens *ſe ut verum proferre quod ſibi viſum eſt ſatis teſtatum* ut ſic à dubiis, incertis & probabilibus Hiſtoriam vindicet ſuam. Suum *ſatis teſtatum* innititur hominum teſtimoniis qui abſdubio falli & fallere queunt; quomodo iſte eximius Criticus à dubiis ſuam vindicare *Hiſtoriam* poterit? Ad cenſum veniunt P. Honorati verba: *Nunquam Critici dabunt ultro Fleu-*

 *rio,*

*rio, quaedam facta hiſtorica in ſatis teſtatis adeoque certis & veris numeranda eſſe, quae alios ſponſores non habent praeter libros apocryphos; aut perditi nominis aut ambiguae intelligentiae: lib.1. diſſert.2.§. 4.*

III. *Ab Hiſtoria populares Traditiones & Vulgi dicta repellito.*

Sed ſub hoc Sapientum ne cogitato, an furioſorum optato, ut Cicero de lege Agraria loquitur; quorſum tendit Authorum vafricies? Sub hocce aureo Canone & religioſiſſima regula ad alia vergunt hi Verſipelles. Ut Eccleſiae Catholicae piarum Traditionum honori derogent, eaſque popularibus erroribus admiſceant. Quiſquis priſcus Eccleſiaſticae Hiſtoriae Scriptor diligentior ac ſolicitior, pias Traditiones poſteris tradidit neque facta certa à du-

biis

biis & dubia ſecernere ab errori-
bus praetermiſit : ſciebat enim il-
lud Paulli monitum : Probare
omnia & expendere ut bonum eli-
gatur . Conveniat neceſſe eſt ,
rectè ſcribit Anonimus *l.* 1. *diſſ.* 2.
§. 5. Hiſtoriam collectionem eſſe
factorum hinc certorum & germa-
norum , illinc probabilium & in-
certorum ; ſed Hiſtoria ea quae
nunc exſtat , ratione nos cogit ut
in illa patiamur facta duntaxat
probabilia. Egregiis iſtis pronun-
ciatis freti Sapientes noſtri , ob-
tentu nihil admittendi quod non
prius penſitaverint, licere ſibi pu-
tant , pias Traditiones cum hi-
ſtoriis fabuloſis confundere.) Cla-
riſſ. Abb. de Fleuri inter recentes
Criticos praeclarior adoleſcentum
judicio , magna circumſpectione
cautioneque in ſuae Hiſtoriae
Praefatione ſcribit : *Quod mea in-
tereſt , non mihi viſa ſunt tanti*

*facienda; ut iis quae ex Actis & Epiſtolis Apoſtolorum deprompſi; adiicerentur*, ut hocce apoſtolico fuco, crederentur omnia quae in ſua conſarcinavit Hiſtoria, à Talmudiſtis & ab impio Philoſtrato deprompta. Hoc ſanè conſilium quoad eccleſiaſticam Hiſtoriam inter nos ratum perſiſtat: In ſaeculis barbaris & temporibus tenebricoſis conſtitit ſemper Chriſtiana pietas, limatumque judicium & criterium in bona veraque Religione fundatum: iccircò non eſt veriſimile illos venerabiles Patres eorum temporum hallucinatos fuiſſe, & fabellas nobis propoſuiſſe, quod ſanè non ſuſpicantur ſeveriores Critici de Herodoto Tucidide Halicarnaſſaeo & Livio. Modeſtè ac placidè Criterium Hiſtoriae, fiat, non crepantibus buccis & Aeaci tonitribus ut faciunt qui parùm credunt. Nos autem

tem

tem Philocaliam, hoc eſt rerum honeſtarum ſtudium, & fidem profitemur. Et ſcimus à magno Auguſtino: *Quae conſuetudine Eccleſiae roborata ſunt, haud convellenda eſſe*: epiſt. 118. ad Januar. Et cum agitur de facto notorio; notorium non eget probatione: *Carena reſol. 206. n. 4.*

IV. *Rectè Critices Regula eſt, veras Authorum ſententias, Eccleſiaſticae Hiſtoriae non adverſari.*

O utinam Eruditus quiſquis quum in lectione, tum magnopere in ſcriptione in hocce recto verſaretur documento; potius tamen nimio novandi aeſtu tranſverſim agitur in mulctam obiiciendi oppugnandique libertatem. Veritatem detegere non veremur, quia Evangelium non erubeſcimus. Obſervetur quaeſo prae caeteris in primis

Dupinius, qui quamvis non ſemel hanc in ſuis lucubrationibus adferat regulam, immemor ſtatim, perſpicuam reiicit veritatem. Sit mox evidens. S. Cyrillus Hieroſolymit. *cathec*. 17 ſcripſit: Apoſtolum Paullum Hiſpaniam petiiſſe. S. Epiphanius: *Paullus in Hiſpaniam profectus eſt*. S. Chryſoſtomus hom. 76. in Matth. *Deinde in Hiſpaniam profectus*. Theodoretus in 1. Ep. ad Philip. cap. 1. *Profectus eſt in Hiſpaniam*. S. Hieronymus in cap. 11. Iſai. *In Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt navibus*. S. Gregorius l. 3. moral. cap. 22. *Paullus nunc Romam... nunc Hiſpaniam peteret*. His textibus tam exploratis, perſpicuis & cumulatis quis rectus Criticus audebit refragari? Doctor Pariſienſis Dupinius tamen calculum ſuum praeclarum con-

contra tot Divos Patres reponit, ſic ſcribens: „ Veteres nonnulli opinati ſunt, Eum in Hiſpaniam perrexiſſe: hoc autem „ in ancipiti poſitum eſt; immò „ contra ſentire, majorem videtur habere cum vero ſimilitudinem: *diſſert. praelim. fol.* 183. Et fol. 391. *Id eos non veluti certum factum, ſed tanquam conjecturam retuliſſe*. Non abſimiliter ſcribunt Launojus, Bailletus, Natalis, Baſnagius, caeterique ejuſdem furfuris Critici, quos tanti faciunt italici Juvenes, qui verum non profitentur criterium. Perpendatur quantoperè vetuſtiores Patres Concilium Calchedonenſe veritum ſit: *Ea quae ſunt Patrum teneantur. Sequentes Sanctos Patres docemus. Qui non conſentit expoſitioni SS. Patrum, ſeipſum alienat ab omni Sacerdotali Communione & à*

*Chriſti praeſentia* : Inter Acta Conc. Calch. Et à Divo Cyrillo Alexandrino : *Hanc nobis Fidem divini tradidere Diſcipuli*; *& licet nullam fecerint dictionis hujus mentionem* , *ita tamen ſentire à Sanctis Patribus edocti ſumus* :Inter Acta Conc. Epheſ. Igitur quae S. Cyrillus Neſtorio exprobrabat, nos zelo ducti his pravis Criticis obiicimus.Hi praeterea mutilos Patrum textus in mediū adducunt, extranea interpretatione malè ſcholiant, nonnunquam non à veris fontibus hauſiſſe detegitur , haereticorum conſuetudine: jure & merito perennes merentur exprobrationes. Ad incudem nunc aliam revocemus viam à Natali repertam, ad omnem Antiquorum authoritatem proſternendam , ad omnem imò Eccleſiaſticam traditionem Hiſtoriamque evertendam. Epiſto-

